



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Disputatio 1. De Voluntario in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)



TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

DIV. Thomæ, atque Exim. Doctoris vestigiis inhærens Tractatui de ultimo fine, atque beatitudine rationalis creaturæ Tractatum de actibus humanis subnecto: etenim D. Thomas, postquam in hac 1. 2. per quinque priores quæstiones egit de ultimo fine, atque hominis beatitudine, statim à q. 6. incipit agere de mediis, quibus homo tantum finem vel obtinere potest, vel amittere, nempe de Actibus humanis: eandem omnino methodum retinet Exim. Doctor integro volumine in 1. 2. edito, in quo prius agit de ultimo fine hominis, ac beatitudine; postea verò de voluntario, & involuntario, atque de huma-

norum actuum bonitate, & malitia; commune quippe est humanis actibus in tota sua latitudine sumptis, quòd voluntariè, suisque cum circumstantiis fiant, quamvis commune non sit, quod cum libertate à necessitate eliciantur; licet enim nullus sit actus humanus liber à necessitate, qui voluntarius non sit: at è converso potest esse voluntarius, quamvis necessariò eliciatur, ac proinde non sit liber à necessitate. Unde ut ab universalioribus incipiamus, prius nobis agendum est de voluntario, & involuntario, postea autem de libero.

* *
*

DISPUTATIO I.

DE VOLUNTARIO IN COMMUNI.

Quamvis actus humanus late sumptis comprehendat liberum, & nõ liberum ex dictis num. super. Ut si strictè, & propriè sumatur, solum significat liberum, neque se extendit ad necessarium, ut constar ex Tract. de ultimo fine à n. 7. Ubi diximus, quid sit actus humanus propriè, & theologicè sumptus: quid verò late, & grammaticaliter acceptus. Quare, cum voluntarium non solum ad liberum, sed etiam se extendat ad necessarium, non solum secundum rationem imperfectam, sed etiam secundum rationem perfectam voluntarii, ut constabit à num. 8. Si natura voluntarii ignota sit, non poterit natura liberi penitus innoscere: ad eum modum, quo ignoto genere, ignorari quoque speciem rei necesse est. Proinde ut methodicè procedamus, sit

scere: ad eum modum, quo ignoto genere, ignorari quoque speciem rei necesse est. Proinde ut methodicè procedamus, sit

SECTIO I.

De Natura, & divisione voluntarii.

SUPP. 1. cum Vasq. disp. 25. Nomine voluntarii non venire in præsentem voluntarium purè objectivè, illud nempe, quod solum est objectum actus voluntatis. Ratio est, quia illud, quod purè est objectum actus voluntatis,

Uu

tis,

is, cum à voluntate non procedat, potius dicitur volitum, aut nolitum, quam voluntarium. Sic homicidium ab alio perpetratum, cuius ego nec physica, nec moralis causa sum, non est mihi voluntarium, quamvis sit à me volitum; habeamq; circa illud complacentiam, desiderium, aut gaudium. Quapropter voluntarium debet esse à potentia appetitiva tanquam à principio, vel causa; nec aliter ista vox significarum habet apud Philosophos cum Aristotele, neque apud Theologos cum D. Thoma, ut constabit num. 7. & 12. Nobis autem non licet immutare vocum significarum, sed eo supposito progrediendum est ad quaestiones exagitandas, & resolvendas.

4. Supp. 2. Neque in praesenti sermonem esse de mere spontaneo, quod, ut notat Amicus, male confunditur ab aliquibus cum voluntario. Ratio est, quia licet omne spontaneum sit voluntarium, at è converso omne voluntarium non est spontaneum. Projectio enim mercium in mare ob metum naufragii est voluntaria mercatori, cum libere, & ex electione suae voluntatis merces projiciat; non tamen est spontanea, quandoquidem non sponte, sed compellente metu contra suam voluntatem inefficacem projicit. Exinde ut aliquid sit spontaneum homini, atque ut homo illud sponte efficiat, requiritur, quod motu proprio, & ex intrinseca sua inclinatione illud efficiat, non autem motus ab extrinseco aliquo per vim, aut metum contra affectum voluntatis inefficacem, & oppositum compellentem. Quamobrem voluntarium potest esse mixtum ex involuntario compellente ab extrinseco vi, aut metu contra affectum voluntatis inclinantis ad oppositum, quam quidem mixtionem spontaneum non admittit.

5. Supp. 3. Duplicem esse finem praecognitum: alterum quidem materiale, alterum verò formale. Finis materialis cognosci dicitur, quando apprehenditur res, quae habet rationem finis, non autem exprimitur conceptus formalis finis facta comparatione ipsius cum mediis, & expensa mutua inter se proportionem: vel saltem expensa dignitate, ob quam habet rationem finis; formalis cognosci dicitur, quando attingitur per cognitionem ipsius cum mediis, sive cum proportionem mediorum ad ipsum, aut saltem exprimitur in objecto dignitas, ob quam habet rationem finis. Exinde bruta, aut pueri nullum rationis usum habentes, ac proinde operantes ex praeciso impulsu, & instinctu naturae ad rem demonstratam, attingunt finem materiale, non verò formale. Illi verò, qui rationabiliter operantur, non solum attingunt finem materiale, sed etiam formale, vel quia expendunt proportionem mediorum ad obtinendum finem, ut quando apponimus media,

quatenus judicamus illa conducentia ad obtinendam sanitatem; vel saltem, quia expenditur dignitas, ob quam objectum habet rationem finis, ut apparet in Deo, qui se voluntarie amat ut finem, expendendo rationem, ob quam amet rationem finis, quin efficiat ulla media ad se consequendum ex dictis à num. 2. de ultimo fine. Quod idem est de actu delectationis, & quietis de fine jam adepto, qui fruitio appellatur, atque de aliis similibus. Unde cum ad perfectum voluntarium requiratur cognitio finis formalis: ad imperfectum verò sufficiat cognitio finis materialis, ut dicemus à num. 8. Exinde in appetitu rationabiliter agente dabitur voluntarium perfectum: in brutis verò, aliisque, qui ex rationis usu non operantur, non dabitur voluntarium perfectum, sed imperfectum. His positis

Prima sententia docet voluntarium ita defini: *Quod positis omnibus requisitis ad agendum, & non agendum, potest ab homine fieri, & non fieri.* Ita Almainus apud P. Salas 1. 2. disp. 1. num. 1. Haec autem definitio facile ex dictis impugatur; quia apud omnes Philosophos, & Theologos ex dictis num. 3. Voluntarium magis se extendit, quam liberum: etenim amor beatificus est perfecte voluntarius, & tamen non est liber, sed necessarius: affectus nostri indeliberati, & motus primò primi non sunt liberi, sed necessarii, & tamen saepe sunt verè voluntarii; ergo voluntarium perperam coarctatur ad liberum. Confirmat. Actus procedens à voluntate rationabiliter agente est perfecte voluntarius: atqui actus necessarius elicitus à voluntate ex cognitione finis formalis circa objectum ipsi representatum bonum, aut malum procedit à voluntate rationabiliter agente; ergo &c. Major, & consequentia tenent. Minor probatur. Modus proprius, quo voluntas rationabiliter agit, non solum est ille, quo differt ab aliis causis operantibus sine indifferencia, & cum determinatione ad unum, sed etiam ille, quo opponitur aliis causis etiam vitalibus, quae appetitivae non sunt, nec modo rationaliter agunt affectivè in objectum representatum; atqui voluntas, licet operetur necessariò, & ab alio determinata ad unum, adhuc operatur modo rationali affectivè circa objectum representatum, ac proinde modo distincto ab aliis causis, ut patet in amore beatifico, qui quidem est operatio rationabilissimo modo amplexiva finis sui; ergo &c.

Secunda sententia docet, voluntarium ita defini: *cujus principium est in agente sciente singula, in quibus est actus.* Ita Aristoteles 3. Eth. cap. 1. Quem sequuntur Nilseus, & Damascenus. D. Thomas 1. 2. q. 6. art. 1. ex iis, quae late docet, sic videtur definire voluntarium: quod est à principio intrinseco cum cognitione finis. Has definitio-

nes aliqui impugnant; quia obscuræ. Sunt insuper quia definitio Aristotelis non convenit actui voluntario indeliberato, qui non est ex cognitione singulorum: deinde nec convenit omni actui voluntario interno; nam quando elicio absque ulla actione externa internum amorem Dei, vel proximi, non cognosco singula, in quibus est ille actus, cum possum plura ignorare. Rursus, ut ajunt alii, utraque ista definitio convenit iudicio, & conclusioni, quæ voluntaria non sunt: conclusio enim illata ex præmissis (idem suo modo de iudicio) est à principio intrinseco cum cognitione finis in ordine ad singula, quæ per illam representantur; ergo utraque ista definitio convenit aliis à definito. nihilominus plures Doctores, præsertim Doct. Ex. Card. Pallav. Oviædus, pluresq; Thomist. eas definitiones explicant in sensu, quo juxta mentem Aristotelis, & D. Thomæ rectè possunt exponi. Quinimò Theologicum est eas exponere, & non rejicere, quandoquidem rectè exponi possunt, ut ex nostra definitione satis constabit. Videatur Exim. Doctor disput. de Voluntario sect. 1.

8. Voluntarium itaque perfectum, de quo agimus in præsentem ex doctrina Aristotelis, & D. Thomæ ita definiendum est: *Quod est à potentia appetitiva effectivè cum præcognitione finis formalis.* Probatum primò, & explicatur simul hæc definitio. Dicitur 1. *Quod est à potentia appetitiva*, per quod significatur potentiam appetitivam debere esse principium voluntarii sumpto principio prout ab Aristotele, & D. Thoma significat, id, à quo aliquid est, vel fit; quod clariùs percipietur exponendo varios modos, quibus aliquis actus potest esse à potentia appetitiva. Primò per immanentiam realis identitatis absque ulla actione, aut productione reali efficiente, quæ ratione affectus divini sunt à divina voluntate. Secundo. Per immanentiam realis productionis, quæ ratione actus voluntatis creatæ, aut amoris, aut odii sunt à voluntate creatæ. Tertio. Per actum efficaciter imperantem, quæ ratione actiones externæ, v. g. motus manuum, digitorum &c. sunt, & procedunt à voluntate. Quamobrem voluntarium est à potentia appetitiva præsciendò ab eo, quòd sit ab illa per immanentiam realis identitatis, vel per realem productionem, sive mediatam, sive immediatam, vel per imperium: nam quidquid aliquo ex his modis est à potentia appetitiva, propriè, & strictè est à potentia appetitiva, eodem modo, quo ab ipsa est per consilium; atque adeò ex hoc capite non potest illi deesse propria, & stricta voluntarietas, sive ratio voluntarii.

9. Dicitur secundò quod est *effectivè*, quod propriè competit tam voluntario formalis, nimirum actibus à voluntate elicitis, quàm purè causali, nimirum actibus externis à vo-

luntate imperatis. Ratio est, quia voluntarium formale, cum sit ipse formalis voluntaris affectus, quo voluntas afficitur; & affectivè fertur in objectum, procedit à voluntate ut formaliter affectiva. Deinde voluntarium causale est etiam affectivè à voluntate, quatenus non solum est ab ea volitum, sed etiam ab ipsa voluntate inductum, aut causatum per suum actum cum cognitione. Quinimò hæc particula apponenda omnino est in definitione propriè, & strictè voluntarii. Ratio est, quia ad strictum voluntarium non sufficit esse, aut procedere purè effectivè à voluntate cum cognitione objecti; nam quando ex alicujus objecti amore te omnino inscio, & inadvertente ponitur habitus amandi, aut species experimentalis amoris, toti effectus non sunt voluntarii; quia licet effectivè, & efficienter procedant à voluntate non sunt affectivè à voluntate: insuper effectus purè permisi à Deo, nimirum nostra peccata (idem de effectibus purè à nobis permisis in causa per accidens à nobis adhibita) absolute physice, & effectivè oriuntur à voluntate divina, quæ realiter, & virtualiter identificatur cum omnipotentia, & ab illa procedunt cum cognitione eorum, & cum libertate ea impediendi, & tamen non sunt voluntarii Deo; quia non oriuntur affectivè ab ejus voluntate, neque directè, neque indirectè, neque formaliter, neq; interpretativè sunt tales effectus à Deo voliti, ut infra latè constabit.

Dicitur tertio, *cum præcognitione*, Primo 10, quia voluntarium respicit finem formalem, quem absque præcognitione respicere nequit: cognitio enim præcedit amorem sive præcedentia Logica, ut in Deo, sive præcedentia naturæ, ut in nobis, quo in sensu explicatur à Philosophis, & Theologis illud commune proloquium: nihil volitum, quin præcognitum. Quamobrem præcognitio præcindit à præcedentia tum Logica, tum naturæ. 2. Quia sine præcognitione nullus actus elicited à voluntate procedit ab illa affectivè; atque adeò, neque ut voluntarium formale; si enim divinitus eliceretur actus amoris à voluntate sine prævia cognitione objecti, non eliceretur vitaliter, nec voluntas redderetur amans, aut volens per illum; unde neque eliceretur affectivè, sed merè mortuo modo, quasi si produceretur à lapide elevato ad talem actum producendum. Tum quia nullus actus alterius potentie, aut causæ potest procedere effectivè à voluntate, quin directè, vel indirectè sit volitus: & ad hoc requiritur, quòd cognoscatur. Quapropter non potest esse voluntarium causale, quin cognoscatur. 3. Quia cognitio est mensura voluntarii: actus quippe voluntatis, & actio externa, & quilibet alius effectus ab actu interno imperatus, aut inductus, non est voluntarius nisi penes id, quod est præcognitum in objecto; quia eatenus quis voluntariè operatur, quatenus sciens, & volens operatur. Unde operatio non erit

voluntaria secundum id, quod omnino, seu invincibiliter ignoratur.

11. Rem exemplis explico: projicis lapidem, vel sagittam, non advertens eam occidendam esse animal, sed cum inadvertentia omnino inculpabili, tum projectio lapidis, vel sagittae voluntaria tibi est, non tamen quatenus est occisio animalis. Similiter projicis sagittam in animal, quod existimas esse feram, & invincibiliter, atque omnino inculpabiliter, ignoras absque ullo dubio, suspitione, aut formidine esse hominem, tunc projectio sagittae, & occisio animalis, tibi est voluntaria, non tamen est voluntaria occisio hominis; quia haec nullo modo est tibi cognita. Eodem profus modo projicis sagittam in animal, quod advertis esse hominem, ignoras tamen invincibiliter, & omnino inculpabiliter esse patrem tuum, aut Clericum. In hoc casu homicidium est tibi voluntarium; non tamen parricidium, neque clericidium: unde licet contrahas malitiam homicidii, non tamen malitiam parricidi, aut clericidii: quia haec tibi voluntaria non est, eo quod omnino invincibiliter, & inculpabiliter sit tibi incognita.

12. Dicitur 4. *Finis formalis*. Quia ad perfectum voluntarium satis non est cognitio finis materialis, ut constat à n. 5. Sed requiritur cognitio finis formalis, quae inchoative scientia dicitur, eo quod voluntarium habeat nomen impoſitum à voluntate rationabiliter agente. Unde D. Thomas 1. 2. quaest. 6. art. 2. Ad 1. ergo dicendum, quod voluntas nominat rationalem appetitum: & ideo non potest esse in his, quae ratione carent. Voluntarium autem denominative dicitur à voluntate. Tum etiam in corp. ejusd. artic. Est autem duplex cognitio finis, perfecta scilicet, & imperfecta: Perfecta quidem finis cognitio est, quando non solum apprehenditur res, quae est finis, sed etiam cognoscitur ratio finis, & proportio ejus, quod ordinatur ad finem ipsum: & talis cognitio finis competit soli rationali naturae. Imperfecta autem cognitio finis est, quae in sola finis apprehensione consistit, sine hoc, quod cognoscatur ratio finis, & proportio actus ad finem: & talis cognitio finis reperitur in brutis, animalibus. Unde soli rationali naturae competit voluntarium secundum rationem perfectam; sed secundum rationem imperfectam competit etiam brutis.

13. Tum etiam eadem q. 6. art. 1. in corpore. Hoc autem importat nomen voluntarii, quod motus & actus sit à propria inclinatione, & inde est, quod voluntarium dicitur esse secundum definitionem Aristotelis, & Gregorii Nissenii, & Damasciani; non solum cujus principium est in terra, sed cum additione scientiae. Ex quibus apparet, definitiones Aristotelis, D. Thomae, aliorumque PP. convenire cum natura juxta ipsorum explicationem. Quapropter vulgaris illa voluntarii definitio, quod est à principio intrinseco cum cognitione, explicanda est juxta doctrinam nostram, ut vera sit. Unde

si aliquis definire vellet voluntarium, prout praescindit à perfecto, & imperfecto, omittere deberet illam particulam, *formalis* in definitione nostra appositam. Tota quippe definitio, quod est à potentia appetitiva affective cum praecognitione finis, praescindendo à cognitione finis materialis, vel formalis, utriusque voluntario convenit, nimirum perfecto, & imperfecto. Exinde

Probat. jam secundò nostra definitio. Illa est recta definitio, quae per genus & differentiam rectè explicat essentiam definiti: atqui nostra definitio per genus, & differentiam rectè explicat essentiam voluntarii perfecti; ergo est recta definitio voluntarii perfecti: Major & consequentia tenent. Minor verò patet ex ipsa expositione definitionis nostrae data à num. 8. constat enim ex ibi dictis, omnes particulas in nostra definitione appositae, praeter ultimam illam particulam *formalis* esse genus, quo voluntarium perfectum convenit cum imperfecto: ac proinde est genus proximum: constat insuper particulam illam *formalis* esse differentiam, qua voluntarium perfectum differt ab imperfecto: atque simul contrahitur ad omne, & solum perfectum voluntarium, ac proinde est differentia immediata, ex qua, & ex genere habentur tota essentia definiti, & distinguitur definitum ab omni non ipso: atqui illa definitio rectè explicat essentiam definiti, quae per immediatum genus, & differentiam comprehendit totam essentiam definiti, illudque distinguit ab omni non ipso; ergo &c. Illationes, quae ex doctrina nostra possunt inferri, clarius, & facilius percipiuntur post argumentorum solutionem. Unde sit

SECTIO II.

Solvuntur opposita.

Objic. 1. Nolitiones sunt à potentia rationali appetitiva cum praecognitione finis formalis: atqui non sunt voluntariae; ergo non rectè à nobis definitur voluntarium. Prob. min. Nolitiones non denominant sua objecta voluntaria, sed potius involuntaria; ergo non sunt voluntariae, sed potius involuntariae. Resp. conc. maj. & neg. min. Ad probat. conc. ant. & neg. cons. Ratio est, quia objectum, quod proponitur malum voluntati, quodque ipsa fugit, est voluntati difforme, & quia tale à voluntate rejectum; ac proinde est involuntarium. At verò nolitio, qua illud fugit, non est difformis, neque à voluntate rejicitur, sed potius est conformis voluntati; atque ab ipsa est saltem virtualiter volita, ut constabit à num. 25. Ac proinde quantumvis objectum nolitur sit involuntarium, nolitio, qua voluntas illud fugit, non est involuntaria, sed potius voluntaria ad eum modum, quo infirmitas est involuntaria; medicamentum verò, quo homo infirmitatem expellit, non est ipsi involuntarium, sed voluntarium.

Objic.

16. **Objic. 2.** Voluntarium est à principio intrinseco ex Aristotele, & D. Thoma citatis, ut constat ex explicatione definitionis nostræ: sed actus humani sunt ab extrinseco principio; ergo actus humani non sunt voluntarii; ac proinde malè definitur à nobis voluntarium. **Prob. min.** Deus est principium omnium nostrorum actuum, juxta illud Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere*; & illud Apostoli 2. ad Cor. 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Atqui si sufficientia non est ex nobis, multò minùs velle, & agere erit ex nobis, sed purè ab extrinseco; ergo &c. **Confir.** Appetibile cum sit motivum, ratione cujus homo elicit humanos actus, est principium actuum humanorum: atqui appetibile non est principium intrinsecū, sed extrinsecum; dicitur enim à Philosopho 3. de Anima textu 24. *Movens motum*; & 8. Phys. textu 28. dicitur omnem actum novum alium (quales sunt actus omnes humani, cum nullus eorum sit æternus) proveniri ab aliquo motu exteriori; ergo actus humani non sunt voluntarii, ac proinde malè definitur voluntarium.

17. **Resp. dist. maj.** à principio intrinseco adæquato, nego, à principio intrinseco effectivo, sive inadæquato, conc. maj. & dist. min. neg. consequentiam. **Ad prob. conc. maj. & dist. eodem modo min. neg. consequentiam.** Quia licet Deus indispensabiliter sit causa prima ad omnes operationes creatas cum creaturis simultaneè concurrens, eisque omnem ipsarum virtutem, atque sufficientiam conferens, ita tamen concurrat, ut voluntas ad actus suos vitales effectivè per actionem immanentem concurrat. Quo fit, ut actus ab intrinseco procedat. Unde quamvis potentia adjuvetur à specie impressa, vel ab objecto immediatè concurrente ex dictis à num. 3. 18. de beatitudine; simulque à motivo, ratione cujus in objectum materiale tendit; ita tamen erga illud afficitur, ut vitaliter tendat. Tendentia autem vitalis procedit ab intrinseco, ac proinde tales actus ab intrinseco procedunt, quapropter ex hoc titulo non possunt non evadere voluntarii. **Ad Confir. dist. maj. appetibile est principium adæquatum actuum humanorū, nego; inadæquatum, conc. maj. & concessa min. neg. conseq.** Quia licet actus humani non procedant ab intrinseco, quatenus procedunt ab objecto appetibili extrinseco: at procedunt ab intrinseco, quatenus vitaliter eliciuntur à voluntate, ut constat ex dictis. Unde actus humani indispensabiliter retinent processionem ab intrinseco ad rationem voluntarii sufficientem.

18. **Objic. 3.** Violentum opponitur voluntario, ut docet D. Thomas 1. 2. q. 6. art. 4. atqui volitio, & nolitio procedentes à voluntate cum cognitione finis formalis possunt esse voluntati violentæ; ergo possunt non esse voluntarii; ac proinde malè à nobis definitur voluntarium. **Prob. min.** voluntas in ordine ad omnes suos effectus subditur Deo, ut Deus ex titulo omnipotentis faciat in voluntate omne

id, in quo nulla adest metaphysica repugnancia: atqui nulla adest metaphysica repugnancia in eo, quòd de potentia absoluta voluntas violentè velit, aut nolit; ergo &c. **Resp. dist. maj.** violentum ex intrinseca, & vitali virtute volentis opponitur voluntario, conc. violentum ex extrinseco resistente opponitur voluntario, neg. maj. & dist. min. Possunt esse violentæ voluntati ex intrinseca, & vitali virtute volentis, neg. ex extrinseco resistente omitto min. & nego consequentiam. **Ad Prob. conc. maj. & dist. eodem modo min. nego consequentiam.**

19. **Ratio est,** quia Deus de potentia absoluta potest infundere voluntati qualiter naturaliter impossibilem cum aliqua volitione, aut nolitio. Sicut enim odium Dei est naturaliter saltem impossibile cum habitu charitatis erga Deum, ita non repugnat altera qualitas voluntati non violentæ, sed consentaneæ, quæ cum alia volitione, aut nolitio sit naturaliter impossibile. Unde si in eo casu voluntas de potentia absoluta eliceret actum contra illius voluntatis inclinationem, talis actus esset violentus illi qualitati voluntati intrinsecæ; ac proinde juxta aliquos diceretur etiam violentus voluntati ut instructæ ea qualitate, de quo infra à nobis agendum est; ad eum quippe modum, quo forma ignis dicitur violenta materiæ primæ ut informatæ formæ ligni. Quidquid tamen sit de violentia in eo sensu accepta, certè actus ille violentus non esset voluntati, essentialiter sumptæ, sive consideratè ut volenti, ex qua consideratione desumitur in præsentia ratio voluntarii; nequit enim voluntas velle objectum, nisi secundum rationem, qua repræsentatur ut bonum; neque nolle nisi secundum rationem, qua repræsentatur ut malum: cum autem volitio boni, aut nolitio mali, nequeat esse contra naturalem inclinationem volentis, aut nolentis, exinde talis actus in sensu, de quo agimus in præsentia, non posset esse violentus voluntati, sed verè voluntarii.

20. **Quòd autem hæc sit meus D. Thomæ manifestè constabit ipsum legenti; nam 1. 2. quæst. 6. art. 4. in corp. ita habet. Resp. dicendum, quod duplex est actus voluntatis; unus quidem, qui est ejus immediatè, velut ab ipsa elicitus, scilicet velle: alius, qui est actus voluntatis à voluntate imperatus, & mediante alia potentia exercitus, ut ambulare, & loqui, qui à voluntate imperatur mediante potentia motiva. Quantum igitur ad actus à voluntate imperatos voluntas violentiam pati potest, in quantum per violentiam exteriora membra, impediri possunt, ne imperium voluntatis exequantur: sed quantum ad ipsum proprium actum voluntatis, non potest esse violentia inferri: & hujus est ratio; quia actus voluntatis nihil est aliud, quam inclinatio quædam procedens ab interiori principio cognoscente: sicut appetitus naturalis est quædam inclinatio ab interiori principio, & sine cognitione. Quod autem est coactum, vel violentum, est ab exteriori principio; unde contra rationem ipsius actus voluntatis**

*voluntatis est, quod sit coactus, vel violentus; si-
cut etiam est contra rationem naturalis inclina-
tionis vel motus lapidis, quod feratur sursum.
Potest enim lapis per violentiam ferri sursum:
sed quid iste motus violentus sit, ex ejus naturali
inclinatione esse non potest: similiter etiam potest
homo per violentiam trahi: sed quod hoc sit ex
ejus voluntate, repugnat rationi violentia. Qui-
bus in verbis tota nostra solutio continetur.*

21. **Objic. 4.** Actus brutorum, & infantium non cognoscentium proportionem mediorum cum fine: tum etiam actus perpetuè amentium sunt voluntarii: atqui non procedunt ex cognitione finis formalis; ergo non definiuntur rectè à nobis voluntarium. **Confr.** Submersio libera navis imputatur tamquam voluntaria præscio, & obligato ad eam vitandam, quamvis neque directè, neque indirectè illam voluerit ullo actu positivo; & sic de similibus, ut docet D. Thomas in hac quæst. 6. art. 3. Sed absque ullo actu positivo non potest submersio procedere affectivè à voluntate; ergo &c. **Resp.** dist. maj. sunt voluntarii perfectè, neg. imperfectè, conc. maj. & concessa min. neg. consequentiam. **Quia**, ut constat ex n. 8. per illam definitionem duntaxat definimus voluntarium perfectum; ac proinde non debet se extendere definitio ad eos actus, qui non sunt perfectè, sed imperfectè voluntarii, si autem aliqui infantes ex rationis usu aliquas eliciant operationes, etsi non habeant rationis usum in ordine ad alias, sicut contingere solet in aliquibus, qui solum operantur, ut amentes, amentiamque patiuntur in ordine ad unum, non verò in ordine ad alterum, tunc aliqua eorum actiones erunt perfectè voluntariæ, licet sint alteræ voluntariæ imperfectè. **Conceptum** autem voluntarii ad perfectum, & imperfectum se extendentem, dedimus num. 13.

22. **Ad Confr.** nego suppositum maj. Nam pura omisio libera, ut infra constabit, est chimerica profus, & impossibilis, ut cum D. Thoma docuimus; numquam enim potest se liberè exercere voluntas, nisi eliciendo actum, quo vult, aut permittit; vel non eliciendo, quia non vult; ac proinde solum potest se exercere affectivè volendo, aut nolendo. Verùm de his latè suo loco dicemus, ex quibus clarè constabit, nullum esse voluntarium in creatis, quod non procedat affectivè, & effectivè à voluntate. **Quando** enim Petrus videt Paulum ab inimico suo interfici, cujus homicidium desiderat, at nullum influxum in illud præstat; licet sit à Petro volitum, non est Petro voluntarium, quia cum nullum influxum in illud præstet, non est à voluntate Petri effectivè, neque per realem immanentiam; ac proinde revera à voluntate Petri non procedit, cum solum ab illa procedere possit effectivè efficientia physica, vel morali, ut infra latè dicemus. **Pariter** si effectivè tantum procederet, non autem affectivè, voluntarium nequaquam esset, ut constat ex num. 11. **Scio** defensores puræ omissionis libere, docere illam procedere à voluntate affectivè, non quidem po-

sitivè, sed interpretativè. Verùm hæc duntaxat permittemus ad aliquas quæstiones infra decidendas sub impossibili hypothesis, quod pura omisio libera non repugnaret.

Objic. 5. Supp. Casum istum metaphysicè possibilem, nimirum quod Petrus necessitatus sit ad projiciendam sagittam, ex cujus projectione prævider occisionem Pauli. Tunc Petrus manet liber ad volendum, & liberè vult in eodem signo necessitatis eam projectionem: **Quo** in casu occisio Pauli procederet affectivè, & effectivè à voluntate Petri: atqui non esset ipsi voluntaria; ergo malè explicatur, & definitur à nobis voluntarium. **Prob. min.** in eo casu occisio Pauli non minus existeret, si Petrus vellet, si Petrus vellet, quam si nollet, non esset imputabilis Petri; atque adeo neque ipsi voluntaria; ergo &c. **Resp.** admisso casu conc. maj. & neg. min. ad prob. dist. maj. non minus, & eodem modo, neg. & diverso modo, conc. maj. & dist. min. nego consequentiam.

Ratio est, quia in ea hypothesis volitio libera Petri esset causa per se occisionis Pauli: causa enim per se, ut loco suo dicemus, est illa, quæ ex natura sua, siue ex munere sibi intrinseco inclinat magis ad positionem, quam ad omissionem effectus: cum autem volitio illa libera Petri, ita inclinaret in occisionem Pauli, esset causa per se occisionis Pauli. **Quapropter** occisio Pauli in hypothesis, de qua loquimur, procederet affectivè, & effectivè à voluntate Petri; ideoque esset Petro voluntaria. **Casu** autem, quo Petrus necessitatus ad projiciendam sagittam nollet illam projectionem, occisio exinde secuta, licet esset effectivè, non tamen esset ab illo affectivè; ac proinde neque voluntaria: neque ab illo eodem modo procederet: at in casu argumenti, neque ipsi, sed causæ ipsum necessitanti posset imputari. **Ex dictis**

Fit 1. Sufficere ad voluntarium, quod sit vel formaliter, vel interpretativè volitum, aut in se, aut in causa: simulque sit à voluntate cum cognitione finis formalis. **Ratio** est, quia in eo casu jam est affectivè à voluntate cum sufficienti cognitione; quo in sensu dicitur actus ipse voluntatis propriè voluntarius; eo quod cognoscere objectum ut bonum amplexioni, sit saltem interpretativè cognoscere amplexionem, siue formalem voluntatis actum. **Quin-** imo plures D. D. defendunt, omnes actus voluntatis esse formaliter volitos; eo quod nunquam possit voluntati proponi objectum, ut ipsi formaliter bonum, quin proponatur illi formaliter bona amplexio objecti. **Objectum** enim, quod non est bonum amplexioni nostræ, non est nobis bonum, sed repugnat omnino, quod amemus formaliter objectum ut bonum nostrum, siue ut bonum amplexioni nostræ, quin formaliter amemus amplexionem nostram, quæ est ipse voluntatis actus; ergo omnino non repugnat voluntatis actus, qui non sit forma-
licet

lirer amor sui: alii verò econtra docent, satis esse cognoscere bonitatem objecti, ut voluntas eam amplectatur: sic bruta non potentia formaliter, sed solum interpretativè reflectere supra suos actus appetunt, quod sibi repræsentatur ut bonum; quo in casu amplexio dicitur solum interpretativè cognita, & volita. Hæc autem quaestio ut pote purè Philosphica à Philosphis agitatur: quidquid tamen de hoc sit, nemo dubitat, actum voluntatis esse propriè, & strictè voluntarium, imò & ipsum voluntarium formale. Unde ad proprium, & strictè voluntarium satis est, quòd sit vel formaliter, vel interpretativè cognitum, aut volitum prævia cognitione finis formalis; atque quòd ita affectivè procedat à voluntate.

26. **Fit 2.** Quidquid est, vel procedit affectivè à voluntate debere esse vel actum immediatè à voluntate elicatum, vel objectum ab illa volitum. Ratio est, quia vel debet esse exercitium appetendi, quo voluntas appetit objectum, & afficitur erga illud: & hic est actus voluntatis, sive proleutionis, sive fugæ. Vel debet esse id, quod appetitur, & circa quod afficitur voluntas: & hoc est objectum volitum. **Fit 3.** Non solum volitionem, sed etiam nolitionem objecti esse formaliter voluntarium perfectè, & strictè, si procedat à voluntate cum cognitione finis formalis. Ratio ex dictis num. 15. est, quia non minus attinet ad voluntatem per affectum suum sive affectivè retrahere à se oppositum sibi malum, quam trahere ad se objectum sibi bonum; nec minus est à voluntate volitum, sive formaliter, sive saltem interpretativè actus, quo avertit suum malum, quam actus, quo affert suum bonum. Non minus enim est conformis affectui voluntatis, nec minus ipsi conveniens fuga formalis mali, quam amplexio formalis boni, atque adeò non minus est formaliter voluntaria nolitio, quam volitio. **Fit 4.** Voluntarium esse, & oriri à potentia affectiva ut affectiva. Ratio est, quia oritur ab illa affectivè per modum volitionis, vel per modum objecti voliti; sed ita oriri à voluntate, est oriri ab illa ut affectiva; ergo &c.
27. **Fit 5.** Voluntarium dividi in formale, causale, & objectivum. 2. in liberum, & necessarium. 3. in volitum in se, aut volitum in alio, sive in causa. 4. in voluntarium directum, & indirectum. 5. in expressum, & tacitum, sive interpretativum. 6. in purum, & non purum, sive in mixtum in voluntario, & in immixtum, & in purè voluntarium. De quibus omnibus agendum nobis est in præsentia. Ad quodcumque autem ex his requiritur in nobis cognitio, quæ sit prior prioritate naturæ actu voluntario, Ratio est, quia cognitio in nobis est causa actus voluntatis saltem directiva, & illuminativa: debet enim proponi nobis objectum ut bonum ad hoc, ut voluntas possit producere suum actum amplexionis: Pariter debet proponi objectum ut malum ad hoc, ut voluntas moveatur, & producat suum actum fugæ; sed in hoc stat, quòd

in nobis cognitio sit prior prioritate naturæ actu voluntario; ergo &c. In Deo autem, cum actus voluntatis improducibiles sint, imò & omnes actus necessarii intellectus & voluntatis sint realiter, & virtualiter idem, non requiritur hæc præcedentia naturæ ad proprium, & strictum voluntariū, sed sat est præcedentia logica consistens in eo, quòd nihil sit volitum, quin præcognitum, quamvis possit esse cognitum, quin sit volitum ex dictis num. 10. Ea autem cognitio debet esse iudicativa, cum voluntas non aliter moveatur ad amplexionem, vel fugam sui objecti; nisi supponatur possibilis apprehensio suasiva, de qua suo loco dicemus. Quo in casu sufficiens esset ad voluntarium.

28. **Fit 6.** Voluntarium strictè, & propriè sumptum reperiri solum in potentia rationali appetitiva. Ratio est, quia sola potentia rationalis appetitiva tendit in objectum consideranda proportionem mediorum ad ipsum obrinendum, aut fugiendum, proindeque sola ipsa tendit ex fine formali: atqui ad strictum, & propriè voluntarium requiritur, quòd potentia appetitiva tendat in objectum ex fine formali, ut constat ex num. 12. ergo &c. Quapropter in brutis non potest concedi voluntarium secundum rationem perfectam, sed secundum rationem imperfectam, quatenus extenditur ad ea, in quibus est aliqua participatio voluntatis secundum aliquam convenientiam affectivam cum illa. Sic D. Thomas 1. 2. q. 6. art. 2. ad 1. *Voluntarium autem denominativè dicitur à voluntate, & potest trahi ad ea, in quibus est aliqua participatio voluntatis, secundum aliquam convenientiam ad voluntatem: & hoc modo voluntarium attribuitur animalibus brutis, in quantum scilicet per cognitionem aliquam moventur in finem.*

29. **Fit 7.** Peccatum originale vel non esse nec physicè, nec moraliter voluntarium posteris in se ipsis, sed tantum in Adamo, qui fuit illorum caput non solum physicum quoad naturalem propagationem, sed etiam morale ex ordinatione divina de danda, vel neganda gratia posteris dependenter à libertate Adæ exequentis, vel transgredientis præceptum. Quo in sensu convenit posteris ratio voluntarietatis in Adamo tamquam in capite; cum Adamo ea voluntarietas à nobis definita, formaliter conveniat. Sic enim defendunt rationem voluntarietatis in posteris ex peccato originali Vasquez, Torres, Salazar, aliique cum Perlino de Concep. dist. 1. c. 3. Vel si dicatur voluntarium posteris in se ipsis immediatè, in eo solo sensu admitti, quatenus Deus supremus Princeps posuit nostras voluntates moraliter in voluntate Adæ quoad præceptum illud, ita, ut quod physicè voluit Adam, nos moraliter censeamur velle in nobis metipsis immediatè, & non solum in Adamo. Sic enim explicant voluntarietatem in peccato originali Bellarminus, Tolerus, Cornelius, Salmero, Legionensis, aliique apud Ovi edum **Controv. 9. de peccatis pun. 4. Tum etiam Exam.**

Exim. Doctor disp. 9. de peccatis sect. 2. Ripalda disp. 16. de Ente superno sect. 9. Arriaga disp. 52. de peccatis sect. 5. Granadus de peccatis tract. 8. disp. 2. sect. 3. Amicus tom. 3. disp. 35. sect. 2. Esparfa q. 6. de Justif. & alii apud ipsos. Quo in sensu adaptatur etiam definitio nostra; nam eo modo, quo censetur morali-

ter velle, censetur quoque moraliter affectivè, & effectivè elicere actionem Adami, ex præcognitione finis formalis. Unde eo modo, quo admittatur voluntarietas in peccato originali, debet pariter admitti nostra definitio, ejusque explicatio, quod notandum hic est pro iis, quæ dicenda sunt.

DISPUTATIO I.

DE INVOLUNTARIO IN COMMUNI.

30. **T**riplici modo potest dici aliquid involuntarium, nimirum negativè, privativè, & contrariè. Involuntarium negativè idem significat, ac non dari voluntarium in subiecto incapaci v. g. in lapide. Cæterum quia hæc acceptio est valde impropria, etiam est inusitata, ut notavit Exim. Doctor disp. 2. sect. 1. Involuntarium privativè dicitur, quando non est voluntarium in subiecto capaci, nulla prorsus facta positiva resistantia. v. g. Quando homo ex defectu advertentiæ, ad quam nõ tenetur, & quam habere poterat, nullo modo se exercet circa objectum, aut volendo, aut nolendo. Verùm hoc etiam dicitur involuntarium improprie, de quo non agimus. Involuntarium positivè, & contrariè, quod proprie involuntarium à Theologis perhibetur, & de quo in præsentia agimus, est illud, quod est contra positivum actum, seu appetitum elicitem voluntatis. Sic nostra peccata, quæ sunt contra positivum actum voluntatis divinæ, dicuntur Deo involuntaria. Cæterum quia involuntarium aliquando dicitur simpliciter tale: aliquando verò solum secundum quid, de utroque agendum nobis est in præsentia. Pro quo sit

SECTIO I.

Ex quo actu procedat ratio involuntarii?

31. **S**uppono 1. Cum Exim. Doctore, terminum *simpliciter*, esse æquivocum: proindeque multipliciter apud Theologos sumi, nimirum propriissimè, proprie, & minùs proprie. Primò sumitur propriissimè pro eo, quod metaphysicè excludit omne contrarium: quo in sensu perfectiones divinæ dicuntur perfectiones simpliciter, hoc est nullam admittentes imperfectionem. Sic etiam peccatum est simpliciter involuntarium Deo, cum Deus non possit amare, aut velle adhuc inefficaciter nostra peccata. Secundò sumitur proprie pro eo, quod plus habet de uno contrariorum, quàm de altero ex ipsa actuum natura, quando uterque actus in eodem subiecto reperitur. Sic dicitur æthiops simpliciter niger, quamvis secundum dentes sit albus: ideoque dicitur simpliciter proprie niger; secundum quid verò albus. Tertiò sumitur minùs proprie pro eo, quod consideratur secundum se, præcisiis circumstantiis facientibus a-

liam denominationem. Sic materia prima dicitur simpliciter ens incompletum, etiam tunc, quando est completa per formam. In præsentia autem exagitur controversia à Theologis de involuntario simpliciter proprie, sive secundo modo accepto: à quo nimirum actu habeat ita denominari objectum simpliciter involuntarium, pro cuius explicatione

Supp. 2. Multiplicem esse posse alicujus objecti nolitionem. Datur enim nolitio inefficax, quæ est quædam duntaxat displicentia de objecto: Hæc autem, quantum est ex se, componi potest cum objecto, & cum illius efficaci volitione. Sic mercator habet inefficacem nolitionem projiciendi merces in mare, quando advertendum naufragium efficaciter vult projicere, & defectò projicit merces in mare. Illa igitur nolitio inefficax solum est quædam displicentia, & renitentia ad projiciendum ex se compossibilis cum efficaci volitione projiciendi, ideoque dici solet nolentia. Alia est nolitio efficax, illa scilicet, quæ quantum est ex se, & ex energia sua non est compossibilis cum volitione efficaci ejusdem objecti in eadem voluntate, sed potius talem efficacem nolitionem excludit.

Hæc autem nolitio efficax duplex est, alia quippe est solum efficax quoad affectum: altera verò quoad affectum, & effectum. Nolitio efficax solum quoad affectum est illa, quæ incompossibilis est cum volitione efficaci ejusdem objecti in eadem voluntate: non autem est incompossibilis cum existentia objecti ab alio inducti: unde hæc nolitio solum præstat, quòd objectum non ponatur à voluntate nolentis, licet possit poni ab alio contra illius nolentis voluntatem: sic Deus habet nolitionem efficacem peccati quoad affectum, quæ habet efficaciam ad impediendam volitionem peccati in eadem voluntate; non tamen habet efficaciam ad impediendam existentiam peccati inducti ab homine contra Dei voluntatem. Nolitio efficax quoad affectum & effectum est illa, quæ non solum est incompossibilis cum volitione objecti in eadem voluntate, sed etiam cum absoluta objecti existentia: sic Deus potest habere nolitionem efficacem peccati Petri, ratione cuius efficacitatis eviteretur peccatum Petri, & incompossibilis maneat divina voluntas cum volitione talis peccati; sic etiam nolitio divina de existentia secund